DE AMORE SUI
DISSERTATIO
COSMÆ MEII
FLORENTINI

Militaris Ordinis SS. Mauritii & Lazari

EQUITIS COMMENDATARII.

PATAVII, Typis Seminarii. MDCCLI.
SUPERIORUM PERMISSU.

ANTONIO NICOLINIO

EX MARCHIONIBUS PONTIS SACCI,
ET CASTRI CAMULIANI
Viro Nobiliſſimo Sapientiſſimoque

Cosmas Mejus Felicitatem.

SOlent qui opus aliquod publici juris faciunt, ſub auſpiciis alicujus principis Viri illud emittere, ejuſque, cujus nomini opus inſcribunt, laudationem inſtituere. Mihi vero, quum primum hoc ſtudiorum, quibus duobus àb hinc annis ſedulam navo operam, Moralis videlicet Philoſophiæ, libamen, amiciſſimo

Viro, ad quem miſeram, hortante, ſive mavis, jubente, typis mandare decrevi, Tuoque inclyto, ac ubique gentium celeberrimo nomini, Vir ampliſſime, conſecrare in votis habui, aliter viſum. Et vero, quid adtinet, eum laudare, quem boni omnes & ſapientes viri, qui illum norint, conſentiunt, nobiliſſimum, optimum Virum eſſe, ac ſapientiſſimum? Præterquamquod quinam (ſi vera illa tantum hominis laudatio eſt, quum illius facta dictis exæquentur) quinam, inquam, quolibet vel deterſo eloquentiæ fuco præclara facinora Tua æqua

lauda-

laudatione, quod vix longiſſima oratione quis conſequatur, brevi epiſtola poſſem complecti? Ad Te quidem venit a majoribus immenſa quædam gloriæ hæreditas: quem enim latet, Nicoliniam Gentem vetuſtate non minus, quam rebus præclare geſtis cum antiquioribus, atque illuſtrioribus Italiæ certare? Attamen ſummis Tuis virtutibus ipſe nova laudum adceſſione cumulas avitum ſplendorem. Sed quid ego plura, quaſi vel ignota memorem, vel quod ſilentio premere omnino ſtatueram, neſciens, nolenſque ſcribere incipiam? Satius erit igitur, ut paucula de

me,

me, deque opuſculo hoc meo addam. Et ſane, quoties ipſe mecum reputo, qualem, quantumque Virum mihi, qui nihil ſum, patronum, & lucubratiunculæ huic meæ tutorem, ac vindicem exoraverim, maximo quidem pudore ſuffundor, atque ita, ut factum infectum eſſe concupiſcerem, niſi me reficeret aliquantulum, animoſque erigeret Tuæ recordatio benignitatis, qua fit, ut ſicuti nobiliora commendas, ita humiliora non reſpuas. Quapropter Te, Vir ampliſſime, enixe oro, obteſtorque, ut nec ad munuſculum hoc qualecumque, nec ad offerentis

tenui-

tenuitatem animum advertas, ſed potius ea, qua ſoles, humanitate utrumque excipias, & ſingulari benevolentia complectaris. Hoc tamen pro certo habeas, nil mihi antiquius futurum, quam Deum tota animi contentione rogare, ut Te, cui placere uni, & Muſis, & Gratiis placere eſt, Patriæ, ſodalibus, & litterariæ Reipublicæ bono diu ſervet incolumem. Vale.

AD

AD AMICUM.

QVid rei esset, quod ad Te, vir amicissime, litteras, uti solebam, non darem, ex quo me Patavium receperim, mirari Te, ex amicorum epistolis cognovi. Verum quum unus, & item alter eadem mihi de Te retulissent, monuissentque, Te silentium meum ægre ferre, atque percupere, ne unus ipse in florentissima hac, atque operosa civitate, otiosam vitam agerem, atque ubi optimarum disciplinarum studia, plusquam alibi coluntur, socordia egomet, inertiaque torpescerem; ita ut malam, quam nunquam habuisti, de me opinionem averterem, constitui in animo, mei, mearumque rerum certiorem Te facere, meæque præsentis vitæ rationem Tibi communicare. Quum itaque mecum ipse sæpissime reputaverim, ceteris omnibus Disciplinam illam præstare, quæ Moralis a Cicerone dicitur, ita mihi studium fuit

illam

illam capessere, atque in ea cognoscenda multam, magnamque curam habere, non ut ceterarum veluti disciplinarum studia parvipenderem, quas & ipse, uti scis, ab adolescentulo colui, sed, ut quid præ ceteris hominem deceret compertum haberem, ac si aliquando fatis melioribus uti possem, non mei tantum, sed & aliorum qui ea mihi multo labore parta ignorent, commodo communicarem. Quapropter nil mihi antiquius esse in præsentia scias volo, quam ea, quæ sapientissimi viri de hominis dignitate scripta nobis commendarunt nocturna, diurnaque manu versare. Contigit itaque mihi nec opinanti plenam, atque uberem adsequi cognitionem eorum, quæ veteres præsertim qui Christum Dominum tempore præcesserunt, nobis tradidere, lubuitque sedulo investigare, quousque apud eos progressa fuerit Philosophia, quæ morum institutionem, &, quod idem est, hominis dignitatem complectitur. Totum ferme id a Platone petendum cognovi, qui & sua fecit, quæ erant priorum, & adjecit propria, atque in iis concinnandis tanta cum laude versatus est, nihil ut dictum

in eo genere postea fuerit, quod non ille plenius, ac melius explicatum habeat. Ordinem tamen, & perspicuitatem quum in eo plerumque desideres, ita fortasse non aeque omnibus, qui eum legunt, eadem futura utilitas.

Haec vitae meae ratio, haec sunt studia mea. Et profecto si hominibus Moralis Philosophiae tanta cura esset, quanto studio reliquas disciplinas, artesve minus profuturas petunt (si divinam tamen illam, quae Religionis nostrae, columna, & fundamentum est, Theologiam exceperis) eo perfectionis procederent, ubi pro mortalibus virtute aeterni fierent. Nae si ita se res haberet, plerosque hominum, uti miserando infortunio, ac humani generis dedecore maximo evenire solet, minime videremus deditos corporis gaudiis per luxum, atque ignaviam aetatem agere, neque litteratorum quorumdam odia admiranda essent, quibus non raro sibi bellum indicunt, atque in litteraria Republica non tam de imperio, quam de virtute certarent.

Verum ne plusquam par est immorari videar in

re,

re , quæ Tibi sapientissimo viro certissima est , hanc missam faciam : & ne desiderio tuo , ne voluntati meæ desim , satius erit , ut studiorum meorum specimen aliquod Tibi exhibeam , perbrevem videlicet lucubrationem De Amore Sui *quem Græci* Φιλαυτίαν *vocant , quam quidem ante pauculos dies effudi potius , quam limaverim . Id totum tolli ne , an relinqui debeat , judicium tuum esto .*

DE AMORE SUI.

OMnes homines infinitarum ſpecierum comitatu animis eorum quaſi ingenitarum naſci, quas ſpecies græco vocabulo innatas *ideas* Philoſophi dixerunt, ſicuti a veritate abhorrere plurimum firmis rationibus a ſapientiſſimis viris jam demonſtratum fuit; ita certiſſimum eſſe, latiſſime patet , primam homines a Natura illam habere appetitionem, ut ſe ipſos diligant, ſui videlicet amorem. Hanc fuiſſe Naturæ inſti-

tutio-

tutionem, adeo certum eſt, ut ſicuti illud inficiari, vel in dubium revocare argumentum ſtultitiæ eſſet, ita pluribus rationibus idem amplificare, & confirmare ſupervacaneum omnino exiſtimaverim. Quid enim aliud ſignificari cenſendum eſt, niſi ingenitum in animalibus omnibus ſui amorem, ab appetitu illo, qui in omni animantum genere perſpicitur ad ſe conſervandum? Illud optime quidem vidit Cicero, viderunt & cum eo ſapientiſſimi omnes, ſi Stoicos tamen excipiamus, tum veteres, cum recentiores Philoſophi: vident denique & omnes illi, qui vel paullulum rerum naturam conſiderent. *Omne animal*, ait Cicero, *ſe ipſum diligit, & ſimul ac ortum eſt, id agit, ut ſe ipſum conſervet, quod hic ei primus ad omnem vitam tuendam appetitus a Natura datur*. Verum animal ſimulatque natum ſit, ipſum ſibi conciliari, & commendari, ad ſe conſervandum, & ad ſuum ſtatum, & ad ea, quæ con-

(a) De Finib. lib. V.

ſenta-

ſentanea ſunt ejus ſtatui diligenda, ſexcentis aliis in locis iiſdem ferme verbis minime veritus eſt Cicero repetere, uti videre eſt in libris præcipue, quos ipſe de Philoſophia conſcripſit. Quoniam vero ſe ipſos omnes natura diligunt, hinc primum eſt, ut integros ſe, ſalvoſque velint, atque earum rerum, quæ ſunt ſecundum naturam, quamplurima, & quammaxima adipiſci contendant. Quæ quidem appetitiones, quibus nos nobiſmetipſis ita commendamur, ut nos noſtraque diligamus, prima ſunt invitamenta naturæ. His plane naturæ invitamentis homines totos ſe expetendos putant, ceteris omnibus prætermiſſis, propter ſe ipſos. Hinc fieri videmus, eos fugere turpitudinem in ſtatu, & motu corporis, pulchritudinem vero ſequi, & concinnitatem: hinc expetere valetudinem, vires, vacuitatem doloris, commoda vitæ, divitias: hinc denique nati variarum rerum in homine, vel bo-

næ,

næ, vel malæ ſint, appetitus: hinc libidines, ira, animi elatio, invidia, ceterique omnes animi morbi, quos Græci παθήματα dixerunt: hinc homines æternitatis nominis maximo deſiderio adfecti, gloriæ cupiditate flagrantes: ab hoc Sui Amore in complurium animis ad patranda præclara facinora ſtimuli concitati: ex eo denique commune illud ortum eſt deſiderium felicitatis comparandæ, perpetuique ſapientum labores, & ſtudia, ut ſummum, & ultimum bonum invenirent, felicitatem nempe illam, quam Platoni placuit dicere, Ἀγαθὸν ἐκ πάντων ἀγαθῶν συγκείμενον, *Compoſitum bonum ex omnibus bonis*, Ciceroni vero; *Bonorum omnium complexionem*. Verum quum hominis ingenium varium ſit, & multiplex; (*a*) *Non enim omnes eadem mirantur amantque*, hinc fit, ut diverſa prorſus de una eademque re diverſi ſentiant, atque dum ſe convenienter Naturæ facere credunt, decipiantur, & uti monet Seneca:

(*a*) Horat. Epiſt. II. lib. II.

neca: (*a*) *Quum vivere omnes beate velint, ſed ad pervidendum quid ſit, quod beatam vitam efficiat, caligent*; idcirco tam variæ, tamque inter ſe diſcrepantes habentur ſententiæ. Ita Democritus exiſtimavit, vitæ felicitatem nihil aliud eſſe, niſi ἀθυμίαν, animi videlicet *tranquillitatem*, quem Hipparcus Pythagoricus, Panætius Stoicus, Plutarchus, & alii ſecuti ſunt. Quod quidem maxime cohæret Heracliti ſententiæ, qui ἀαρέστησιν, *placabilitatem* volebat, eademque eſt ut mihi quidem videtur, quæ & Pyrrhonis ἀταραξία, quam Sextus interpretatus eſt ψυχῆς ἀοχλησίαν, καὶ γαληνότητα, *ſtatum animi imperturbatum, & tranquillum*. Ita in rerum contemplatione ſummum Bonum reperiri Anaxagoras, in ſcientia vero ſimplici Herillus, in perfectione virtutum Pythagoras.

Verum, quum præ ceteris fama celebrentur tum Stoicorum, cum Epicuri de ſummo Bono ſententiæ, vel ex eo præcipue, quod innu- meros,

(*a*) De Beat. Vit. cap. 1.

meros, & magni nominis utrimque ſectatores habuerint, vel quod toto cælo ſibi adverſentur, atque una maxime abhorreat ab altera, ita operæ pretium eſſe exiſtimo, brevem quamdam utriuſque οἰκονομίαν conſtituere, ut latius pateat, ſe omnes, ſuaque diligere, ſed in earum rerum delectu plerumque errare, in quibus ſummum pro ſua quiſque ſententia Bonum conſtituunt. Hoc quidem maximum Philoſophorum vitium: etenim (*a*) *de ſummo Bono diſſentire idem eſt*, ut monet Cicero, *ac de tota Philoſophiæ ratione diſſentire*.

Voluptatem igitur, eam quam Græci ἡδονὴν dicunt, ſummum Bonum dixit Epicurus, ſicuti & Ariſtippus, & Cyrenaici docuerunt. Docet Athenæus (*b*) Epicurum eam Voluptatem, quæ poſita eſt in ſenſibus, intellexiſſe, æque ac Ariſtippum, illiuſque eſſe has voces, quibus ſuam de hac re ſententiam explicat: καταυγισμοὺς, νύγματα, ἐπενθρώματα, γαργαλισμοὺς, videlicet

(*a*) Cic. de Finib. lib. V. (*b*) Lib. XII.

cet *impetus*, *ſtimulationes* , *titillationes*, & his conſentanea ; adjecitque & hæc Epicuri eſſe : Ἀρχὴ, καὶ ῥίζα παντὸς ἀγαθοῦ, ἡ τῆς γαστρὸς ἡδονή : *Omnis Boni principium, radicemque, eſſe ventris voluptatem*: Quin etiam quum Ulyſſes ſtatuerit, τρυφὴν. καὶ λαγνείαν τέλος τοῦ βίου, *Vitæ finem eſſe delicias, & laſciviam*, contendit idem Athenæus, fuiſſe illum Epicuro ducem τῆς πολυθρυλήτου ἡδονῆς, *celebratiſſimæ Voluptatis*; idque ſubjectis verſibus, qui perinde incipiunt ac ille Epicuri locus,

(*a*) Οὐ γὰρ ἔγωγέ τί φημι τέλος χαριέστερον εἶναι
Ἢ ὅταν εὐφροσύνη μὲν ἔχῃ κατὰ δῆμον ἅπαντα
Δαιτυμόνες δ' ἀνὰ δώματ' ἀκουάζωνται ἀοιδοῦ,
Ἥμενοι ἑξείης· παρὰ δὲ πλήθωσι τράπεζαι
Σίτου, καὶ κρειῶν· μέθυ δ' ἐκ κρητῆρος ἀφύσσων
Οἰνοχόος φορέῃσι, καὶ ἐγχείῃ δεπάεσσιν·
Τοῦτό τί μοι κάλλιστον ἐνὶ φρεσὶν εἴδεται εἶναι.

Non enim ego tandem finem ullum elegantiorem eſſe duco,

Quam quoties lætitia detineat populum univerſum,

(*a*) Odyſſ. IX. v. 5.

Convivantesque per domum audiant cantorem
Sedentes ordine; juxta itidem impleantur mensæ
Pane, & carnibus, vinumque ex cratere hauriens
Pincerna adferat, & infundat poculis:
Hoc quiddam mihi pulcherrimum in mente videtur esse.

Ne tamen plusquam par est immorari videar, satis erit, veram germanamque Epicuri de summo Bono sententiam ex Plutarcho sumere: is enim, ut mihi quidem videtur, paucis integrum illud systema complectitur, omissis consulto sexcentis aliis gravissimorum virorum, & præsertim Ciceronis luculentissimis testimoniis, quibus idem ostenditur. Plutarchus (a) igitur adfirmat, Epicurum, illiusque sectatores constanter adserere, Περὶ γαστέρα τ' ἀγαθὸν εἶναι, καὶ τοὺς ἄλλους πόρους τῆς σαρκὸς ἅπαντας, δι' ὧν ἡδονὴ, καὶ μὴ ἀλγηδὼν εἰσέρχεται, καὶ πάντα καλὰ, καὶ σοφὰ ἐξευρήματα τῆς περὶ γαστέρα, ἡδονῆς γεγονέναι, καὶ τῆς ὑπὲρ ταύτης ἐλπίδος ἀγαθῆς. *Esse summum Bonum circa ventrem, omnesque alios carnis meatus,*

(a) Ad Col. 11.

per quos ſe Voluptas , non dolor inſinuat ; *ac omnia præclara , ſapienterque inventa ad voluptatem , quæ circa ventrem , bonamque de ea non deſitura ſpem pertinere*. Voluptatem igitur cum vacuitate doloris conjunctam ſummum Bonum eſſe dixerunt Epicurei, qui quam abhorreant a veritate , nemo eſt , qui non videat. Conſulendus eſt tamen Cicero de Finibus: toto enim ſecundo libro illam perſequitur ſententiam, eamque elidit accuratiſſima diſputatione. Et vero Epicuri ratio ejuſmodi eſt, ut nihil homine videatur indignius. Quare Epicurei , qui ultimum bonorum, uti dicebamus , in voluptate perfecta ponunt, Stoicis inrident , veluti qui negent, bonum quidquam eſſe poſſe , niſi quamdam *σκιὰν* , ſeu *umbram* illam, quam adpellant *Honeſtum*, ut verbo dicam Ciceronis, non tam ſolido, quam ſplendido nomine : virtutem autem nixam hoc Honeſto, nullam requirere voluptatem, atque ad beate vivendum ſe ipſa

eſſe

esse contentam. Quæ quum ita sint, latissime patet, maximo in errore versari, qui Epicurum ab inhonesta labe vindicare contendunt. Nulla enim ratione inficiari poterunt, eum sensisse, summum, ultimum, & extremum hominis Bonum esse perfectæ atque absolutæ fruitionem Voluptatis, seu, ut cum Cicerone loquar, jucundum motum illum quo sensus hilarentur, qui a Græcis ἡδονὴ, a Latinis Voluptas dicitur. Plane testificatur Epicurus, ne intelligere quidem se posse, ubi sit, aut quid sit ullum bonum, præter illud, quod cibo, aut potione, & aurium delectatione, & obscœna voluptate capiatur. Hinc Petronius (*a*) ille intemperantissimus scriptor:

Nam quis concubitus Veneris, quis gaudia nescit?

. . . . . .

Ipse pater veri doctis Epicurus in hortis
Jussit, & hoc vitam dixit habere τέλος.

(*a*) Satyr.

Innumera his consentanea in promtu haberem, quæ referre possem ; sed quum, ad rem nostram quod adtinet, satis superque sit indicavisse, quid Epicurei de summo Bono senserint, missa faciam, pauca de contraria Stoicorum sententia dicturus.

Stoicorum igitur, quorum Zeno princeps, ut ait Cicero, (*a*) non tam rerum, quam novorum verborum inventor, sententia de summo Bono, ab ea, quam modo adtigimus Epicureorum, penitus diversa. Hi enim potiori quidem jure contendunt, nihil bonum esse posse, præter id unum, quod honestum est, nihil malum, nisi turpe ; atque ideo in uno *Honesto* summum, & ultimum hominis Bonum constituunt. Verum in omnibus, quæ ex eorum opinione argumentantur Stoici, & nimii sunt, & risum plerumque movent. Plane eorum sententiæ teste Tullio, (*b*) ejusmodi sunt, quæ prima specie admirationem, re au-

(*a*) De Finib. lib. III. (*b*) Loco citato.

autem explicata risum moveant. Et profecto quidnam stultius excogitari unquam potest, quam contendere divitem æque ac inopem, sanum æque ac morbo adfectum, beatum, felicemque esse, dummodo sapiens sit. Censent enim, (a) *Sapientes semper feliciter, absolute, fortunate vivere, nulla re impediri, nulla prohiberi, nulla egere*. Ego vero existimaverim, Stoicos alia sensisse ab iis, quæ docuerant, neque aliud in perpendendis eorumdem sententiis comperio, nisi gloriosam quamdam in constituendo summo Bono ostentationem. Enimvero quinam persuasum esse poterit viro, non dicam sapienti, sed & cuilibet sanæ mentis, felicem illum, atque ex omni parte beatum esse, qui sapiens sit, proptereaque tollendam esse curam valetudinis, diligentiam rei familiaris, administrationem Reipublicæ, ordinem gerendorum negotiorum, officia vitæ, ipsum denique illud *Honestum*, ut optime Cicero (*b*) animadvertit, in

(*a*) Cic. loc. cit. (*b*) De Finib. III.

in quo uno esse Stoici volunt omnia, esse deferendum? Merito igitur eluduntur, atque irridentur Stoici a gravissimis Scriptoribus, & perpetuo eludi non desinent. Luculentissime quidem Horatius, (*a*)

Quisnam igitur liber? Sapiens, sibi qui imperiosus,
Quem neque pauperies, neque mors, neque vincula terrent,
Responsare cupidinibus, contemnere honores
Fortis, & in se ipso totus teres, atque rotundus,
Externi ne quid valeat per leve morari,
In quem manca ruit semper Fortuna.

Quibus versibus respondet illud vulgatissimum ejusdem Poetæ

Sapiens uno minor est Jove, dives,
Liber, honoratus, pulcher, Rex denique Regum,
Præcipue sanus, nisi quum pituita molesta est.

Etenim inter Stoicorum delirationes illud mihi quidem videtur insigne, sapientem videlicet sanum esse, etiamsi ægrotet. Ex hac proinde

(*a*) Satyr. VII. lib. II.

inde ſententia ridenda illa fluxerunt principia, Ὅτι αὐτάρκης ἡ ἀρετὴ πρὸς εὐδαιμονίαν. *Se ipſa contentam eſſe virtutem ad beate vivendum*: Ὅτι πάντες οἱ σοφοὶ ἐλεύθεροι, πάντες δὲ μωροὶ δοῦλοι, *Omnes ſapientes liberos eſſe, & ſtultos omnes ſervos*, Ὅτι μόνος ὁ σοφὸς πλούσιος, *ſolum ſapientem eſſe divitem*, & ſexcenta hujuſmodi.

Hæc Stoicorum ſententia, quæ a Cicerone exploditur libro quarto de Finibus, quam ſimul cum altera Epicureorum exponere non dubitavi, ut oſtenderem, omnia in hominibus ab uno ſui amore eſſe orta: cujus quidem amoris effectus ſi maturius conſiderari lubeat, latius rem ipſam patere videbimus.

Etenim quem ardorem cenſendum eſt, fuiſſe in Archimede, niſi ſui ipſius amorem, ut nempe a poſteris immortalitate donaretur, qui dum in pulvere quædam deſcribit adtentius, uti refert Cicero, ne patriam quidem captam eſſe ſenſerit? Hoc ipſo amore Ariſtoxenes in

perficiendis Musicis ingenium pene consumsit; hoc ipso omnem ætatem in litteris duxit Aristophanes; hoc ipso Marcus Tullius ille Cicero ductus, nervos ingenii, industriæque omnes intendit, ut ad illum altissimum sapientiæ gradum perveniret, quo nomen suum æternitati commendaret, unius gloriæ quammaxime cupidus, &, quod idem est, sui amantissimus. Elucet id præcipue in illius scriptis, quæ licet quavis laudatione majora semper sint, gloriæ tamen libidinem vel maximam scriptoris præseferunt. Quid enim intemperantius illo,

O fortunatam natam me Consule Romam?

Quid altero,

Cedant arma togæ, concedant laurea linguæ?

Quid præterea de Cæsaris, quid de Pompeii laboribus sentiendum? Quid de Poetis, quid de reliquarum omnium disciplinarum artiumve eximiis cultoribus? Hac una, quam cum

homi-

homine naſci Natura voluit, appetitione, qua ſe ipſum, & ſua ut diligeret, effecit, ducti, atque impulſi mortales varii ad varia animum advertendo, in ſua quiſque arte excellere ſtuduerunt, neque laboribus, neque vigiliis unquam pepercerunt. Hac una & Pythagoras, & Plato, & Democritus, a quibus videmus ultimas terras eſſe peragratas, ſummum virtutis faſtigium adtigerunt: & ne videar ex antiquitate tantum præclara exempla repetere, idem de Columbi labore, atque induſtria in invenienda terrarum orbis cunctis mortalibus ante ignota parte: idem de adſiduis Galilæi ſtudiis, curiſque illuſtribus in Phyſicis, de Nevvtoni vigiliis in Aſtronomicis, de Petrarcæ induſtria in emortuis humanioribus litteris ad vitam revocandis, idem de Bonarotio in Pictura, Sculptura, & Architectura perficienda: idem denique de ſexcentis aliis eximiis ingeniis dicendum, ſentiendumque, quos ſi ſin-

gulos persequi vellem, dies me deficeret. Plane ex hac una appetitione, qua natura homines sibi commendatos voluit, ortum in hominibus patrandorum præclarorum facinorum desiderium. Verum quum humanum genus suapte natura ad malum proclivius sit, optandum vel maxime est, ut ad bonum eadem hac ipsa appetitione feratur: quod fiet absque ulla controversia, si optimis rectisque moribus instituatur. Næ si hujusmodi morum, ac bonarum disciplinarum, & præ ceteris optimæ Philosophiæ deerit institutio, naturæ convenienter vivere homo non poterit, neque illud intelligere, quod ipsum deceat, &, quod idem est, nullo modo recta se ratione diligere. Pulchre ad rem nostram Horatius:

Oderunt peccare boni virtutis amore.

Verum ne videamur huc illuc temere divagari in enumerandis τ̃ Φιλαυτίας effectibus, rem ipsam colligamus. Atque ut recta ratione,

ne,

ne, & via procedat oratio, primo observandum paucis esse existimo, quid sibi velit vel ipsum verbum Φιλαυτία, sui videlicet ipsius Amor. Næ ex prava, vel minus recta vocabulorum intelligentia specierum confusionem plerumque oriri manifestum est. Φίλαυτον igitur eum Græci vocant hominem, qui nimis sibi indulget, amantem sui. Hæc Aristoteles habet Rhetoricorum libro primo: Ἐπεὶ δὲ Φίλαυτοι πάντες, καὶ τὰ αὑτῶν ἀνάγκη ἡδέα εἶναι πᾶσιν. οἷον ἔργα, λόγους. διὸ φιλοκόλακες ὡς ἐπιτοπολύ. *At quoniam unusquisque sui ipsius amans est, omnibusque necesse est, ut sua propria sint jucunda, veluti actiones, sermones, hanc ob causam adulatores ut plurimum quisque amat*. Duplicem tamen verbi ejusdem explanationem Aristoteles tradit. Est enim & Φίλαυτος. Ὁ αὑτοῦ ἕνεκεν πάντα πράττων ἐν τοῖς κατὰ τὸ λυσιτελές. *Qui sui causa omnia facit in rebus utile quid præferentibus*. Verum haud abs re erit exponere germanam ejusdem Philosophi περὶ τῆς

Φι-

φιλαυτίας ſententiam, ea colligendo, quæ ab ipſo in Ethicorum noni libri capite octavo fuſius diſcutiuntur. Primo itaque ait, eos objurgari ſolere, qui ſui amantes ſunt, atque ideo φιλάυτες adpellari, quaſi ea res cum turpitudine ſit conjuncta. Videri hominem improbum, omnia ſua cauſa agere, atque ea potiſſimum ad alenda magis vitia ſibi comparare; eumque idcirco mali facinoris reum factum, utpote vel minimum quid a ſuis rationibus, vel commodis alienum agere queat. Sententiam hanc ut confirmet honeſti hominis comparatione utitur, qui ideo bonus habetur, quia omnia honeſti tantum cauſa agere, amicorum commodo in agendo conſulere, *ſuum ipſe commodum negligere, atque etiam, ſi velis, prætermittere*. (*a*)

His expoſitis, quæ ad vulgarem profecto

(*a*) In hac honeſti hominis definitione cæcutire videtur mea quidem ſententia Ariſtoteles. Honeſti hominis eſſe honeſta tantum agere, amicorum commodo in agendo conſulere, apte, vere, adpoſite dictum. Ejuſdem tamen eſſe commodum ſuum non ſolum negligere, ſed etiam prætermittere, falſum omnino. Honeſtum plane hominem ſua ſedulo agere, ſeque ipſum noſcere, non ſolum decet, & æquum eſt, verum etiam neceſſarium vel maxime.

τῆς φιλαυτίας opinionem pertinent, quam veluti aliorum Philoſophorum ſententiam tradit, ad potiorem tranſit opinionem proponendam, qua & alteram explodere videtur, quæ ita ſe habet. Eum igitur, inquit Ariſtoteles, maxime diligendum eſſe, qui maxime ſit amicus: eum vero maxime amicum eſſe, qui quem vult bonis ornatum eſſe, eum velle illius ipſius cauſa ornatum eſſe, etiamſi nemo ſciturus ſit. Hæc autem omnia ineſſe in unoquoque erga ſe ipſum patet, & cetera etiam omnia, quibus definiri ſolet amicus. Qui enim verior inveniatur amicus ſe ipſo? Quinimmo addit & bene congruere huic opinioni proverbia ſingula, veluti illud: τὸ μία ψυχή: *Unus animus*: κοινὰ τὰ τῶν φίλων, *Omnia amicorum communia*: ἰσότης φιλότης, *Æqualitas amicitia*: γόνυ κνήμης ἔγγιον, *Genu crure propius*: Hæc autem omnia, planum quidem eſſe, in unoquoque erga ſe ipſum reperiri: ſibi enim quiſque natura ſuapte vel maxi-

me

me amicus eſt, atque ideo quemque ſe vel maxime diligere debere. Duabus hiſce ſibi, ut patet, invicem adverſantibus ſententiis explanatis, utramque ad trutinam revocat Ariſtoteles, quæritque, utramne ex his opinionibus tuto vir prudens ſequi poſſit.

Si ergo ſui amantem eum intelligamus, qui in pecunia, in honoribus, in voluptatibus denique totus ſit, ac veluti Natura pronus ventri obediat, ſibique in omnibus indulgeat, probrum quidem certe Φιλαυτίαν eſſe, turpeſque homines illos, qui ſe ipſos ita ament. Verum vulgus hominum habetur hujuſmodi; quippe hæc veluti bona etiam, atque etiam exoptant, ea ſibi comparant, atque in eadem, ut rerum omnium optima, totis viribus incumbunt. Homines hos, quum illi ſui parti, quæ rationis expers eſt, obſequantur, probro adficiendos eſſe, atque in iiſdem Φιλαυτίαν pro turpitudine habendam eſſe, nemo eſt, qui non vi-

deat

deat. Plane huic amori congruere mihi quidem videtur illud Horatii, (a)

Stultus & improbus hic amor est, dignusque notari.

Verum quidem est, a vulgo hominum, qui vitiis plerumque obsiti sunt, hujusmodi fluxisse τῆς Φιλαυτίας adpellationem. At e contra quicumque rebus omnibus, de quibus modo disseruimus, posthabitis, ea præ ceteris, quæ justa sunt, & temperata, aut qualiacumque alia virtutibus consentanea agere studeat, ac sibi tantum quidquid honesti est vindicet perpetuo, seque hac ratione ipsum diligat, laudibus feratur ab æquo rerum quovis æstimatore, necesse est. Et revera amans sui potius esse hujusmodi homo videtur, utpote qui sibi res pulcherrimas, atque optimas comparat, eique sui parti, quæ principatum obtinet, gratificatur, eique omnibus in rebus obsequitur. In homine eam hominis partem, quæ dominari debet, hominem esse. Igitur sui amantissimum

(a) Satyr. III. lib. 1.

esse, latissime patet, qui hanc amat, qui ipsi paret, qui eidem obsequitur. Igitur sui erit amantissimus genere quodam amoris optimo, atque ab eo, qui vitio datur eatenus diverso, quatenus hic optimus amor rationi convenienter vivere hominem efficit, ille vero flagitiosus adfectibus, & perturbationibus animi servire hominem cogit: prior Honestum, posterior quod utilitatis speciem habet appetit, & concupiscit. Igitur qui præclaris, honestisque moribus egregie præter ceteros student, omnibus probati sunt, & ab omnibus collaudantur. Hæc ex Aristotelis doctrina, uti patet, luculentissima.

Quid vero alii vetustiores Philosophi senserint de sui amore, supervacaneum omnino in medium proferre existimamus. Qui enim ἠθικὰ sua scriptis consignarunt, quæ plerumque versibus, & quidem elegiacis concluserunt, aut pauca admodum, & hæc Aristotelicæ doctri-

næ

næ conſona dixere, aut prorſus nihil. Nihilo tamen minus ſi mentem Platonis inveſtigare liceat, idem & Socratem, & ipſum Platonem ſenſiſſe de ea re, quod in ſecunda parte Ariſtotelicæ diſceptationis obſervavimus, liquido conſtabit. Porro hominem nihil aliud eſſe, quam hominis ipſius animum, conſtanter adſerit pluribus in locis Plato, ac præcipue in Alcibiade primo, ſive in Dialogo de natura hominis, ubi ait, Μηδὲν ἄλλο τὸν ἄνθρωπον συμβαίνειν ἢ ψυχήν, *Hominem, nihil aliud, quam animam, eſſe*: cui ſententiæ, congruit & illud, quod in Menone, ſive in Dialogo de Virtute videre eſt, ubi Socrates ita fatur; Οὐκοῦν οὕτω δὴ κατὰ πάντων εἰπεῖν ἔστι; τῷ ἀνθρώπῳ τὰ μὲν ἄλλα πάντα εἰς τὴν ψυχὴν ἀνηρτῆσθαι, τὰ δὲ τῆς ψυχῆς αὐτῆς, εἰς φρόνησιν: *Nonne ſic de omnibus dicere licet? res quidem omnes, quæ hominis ſunt, ad animum referri debere; ea autem, quæ ad ipſum animum pertinent, ad Prudentiam*. Quæ quum ita ſint, quum Pulcrum ſolummodo ſit

amandum ex Platonis ſententia, illudque in animo reperiri tantum poſſe, ſapientiſſime demonſtret, ita manifeſte patet, illud Platonem ſignificare voluiſſe, ut homo animum ſuum, atque ideo ſe ipſum vel maximo amore proſequeretur. Attamen ne videamur hariolari, paucis exponere liceat, quid Socrates & Plato ſenſerint de Pulcro. Plane inde apparebit, quanta ratione id auſim adſerere.

Amor igitur juxta Socratis, Platoniſque ſententiam, nonniſi *Pulcri* eſt, quum ad Pulcrum ſponte ſua feratur, & acquieſcat in Pulcro. Pulcrum autem id eſſe, in quo apta ſunt omnia, & ad Naturæ perfectionem, atque abſolutionem ordinata: quod quidem & vidiſſe Stoici non immerito videntur. Elucet id maxime in animis, quorum Natura ſimplex mutationi haud eſt obnoxia. In corporibus vero, quæ ne puncto quidem temporis in eodem ſtatu ſunt, vix ullum habet locum. Ergo animorum

rum

rum verus eſt amor, & idem proprie ſolus. Qui autem ad illud admirabile quidem ſpectaculum ſemel admiſſus ſpeciem ipſam Pulcri, quam Græci ἰδέαν dicunt, animo adſpexerit, næ ille parum curabit inferiora omnia, neque mortalis ullius rei formoſitate capietur, proponetque ille id unum ſibi, ut & in corpore, & in animo habeat omnia quam ordinatiſſima: cui formæ, ac regulæ nihil eſt tam contrarium, quam quæ oritur ex voluptatibus, mentis videlicet perturbatio. Id enim ea eſt in animo, quod morbus in corpore. Itaque a Philoſophis græcis πάθος, a Poetis vero Tragœdiarum ſcriptoribus νόσος adpellatur. Si hæc erit, uti Socratis, noſtra diſciplina, ex ejuſdem præſcripto vitam quiſque noſtram componemus, inſtruemus aliorum. Ita Socrates erat peritus in ἐρωτικοῖς, ſive rebus amatoriis: ita, quum nihil de ceteris rebus ſcire ſe profiteretur, id unum adfirmabat, ſcire ſe τὰ ἐρωτικά,

τικὰ, quod idem erat, ac si dixisset, scire se ea, quæ ad rectum vitæ ordinem, regendosque mores, uno verbo quæ ad virtutem pertinerent. Igitur quum hæc sit Platonis sententia, nemo non videt, quanta ratione a nobis pronunciatum sit, ei placuisse, homines se ipsos diligere, quum docet, animum esse diligendum.

Neque prætereundum puto, eumdem sapientissimum Philosophum in tertio de Legibus Dialogo contendere, Civitatem optimam nullo modo illam esse posse, quæ sibi ipsi non sit amica, quæ se ipsam non amet. Si igitur ea nunquam bona erit Civitas, quæ se ipsam non diligat, quinam bonus, & vere homo is habendus erit, qui se ipsum non amet?

Verum antequam rem ipsam pro sententia planam faciamus, penitiusque eam investigemus, illud hoc loco mihi liceat exponere, quod de verbo ipso φιλαυτία, mecum ipse plu-

ries

ries reputavi. Videtur enim mihi, atque, ut puto, haud abs re, φίλαυτον, seu amantem sui nullo pacto eum hominem dici posse, qui sibi in omnibus indulgeat, qui in voluptatibus usque versetur, qui gloriosus sit, sibique in omnibus plaudat, qui ventri obsequatur, qui otiosam vitam agat, & cetera hujusmodi, quæ honestum hominem minime decere, sapientissimus quisque semper est arbitratus; qui denique honoribus, dignitatibus, pecunia tantum, & plus æquo adficiatur, quasi, (a)

Queis humana sibi doleat Natura negatis.

Nollem igitur hujus mali surfuris homines φιλαύτους ulla ratione dici, quum revera nec tales dici possint, nec sint. Quinam mediusfidius dici poterit, eum se diligere, qui ea appetat, ea quærat, ea sibi comparet, quæ ad suimet perniciem operatur? Matremne illam dicemus, natos diligere, quæ filiis obsequatur in iis rebus, quas videt iisdem nocumento futuras? eam, quæ eisdem in pec-

(a) Horat. Serm. I. lib. I.

peccato adjutrix ſit, auxilio in paterna injuria? quæ ut vinum, aleas, ſcorta perſequi poſſint, pecuniam ſuppeditet? minime gentium. Sicuti igitur eam matrem nemo, niſi ſui impos, filios diligere dixerit, ita profecto decipietur qui eum φίλαυτον eſſe, ac dici poſſe contendat, qui ſibi ipſi in obſequendo, exitium paret. Qui enim ſibi nimis indulget voluptatibus perpetuo inſerviendo, quum ſibi proculdubio malum comparet, quinam niſi prava loquendi forma dicetur, ſe ipſum amare? Deſtruit plane non ſolum ſe;

Quin corpus onuſtum (*a*)
Heſternis vitiis animum quoque prægravat una,
Atque adfigit humo divinæ particulam auræ.

Non apte igitur φίλαυτος dicitur a Philoſophis hujuſmodi homo; quin potius ψευδοφίλαυτον malim eum adpellari. Abutimur ergo recta vocis ſignificatione, quum ſui amantem eum dicimus: nullo enim quovis ſenſu φίλαυτος dici poteſt

(*a*) Horat. Satyr. V. lib. II.

poteſt ille, qui ſibi nimis obſequendo, certum ſibi exitium comparet.

Quam autem dicam Φιλαυτίαν vides, Vir amiciſſime, ne invidia verbi labefactetur oratio mea. Eos igitur, in quibus neque pecuniæ modus eſt, neque honoris, neque imperii, nec libidinum, nec epularum, nec reliquarum cupiditatum, ſe ipſos amare minime dici poſſe velis remiſque contendo. Quæ res, niſi fallor, quum ſatis perſpicua, ac plana ſit, ſupervacaneum puto in ea explananda diutius immorari.

Deſinant ergo mirari ſapientes, Φιλαυτίαν ab infinito quorumdam hominum vulgo maledictis uſque proſcindi. Mirarer plane, ſi res aliter eveniret: multo enim amplior eſſet eruditorum hominum numerus. Verum fato neſcio quo, hujus furfuris homines ignorantia plerumque invadit, quo fit, ut Sapiens ignoſcere debeat eorum imperitiæ, quos ſua pietas

ad errorem, & injuſtitiam trahit. Et vero plerique ex iis, qui Chriſtianam pro munere rem agunt, quum non intelligant vim nominis, quumque non ſolum Platonem, ceteroſque ſapientiſſimos Philoſophos ne a limine quidem ſalutaverint, verum nec bene uti ratione velint, ſciantve, Amorem ſui, tanquam labem animi lethalem execrantur, & plura quidem de hoc Amore dictitant, quam Chriſtiano Theologo licere, bonæ quiſque mentis arbitretur. Optime quidem illuſtris vir Claudius Franciſcus Fraguerius Platonicæ doctrinæ vindex adſertorque luculentiſſimus in carmine ad clariſſimum Leibnitſium:

Optima ſæpe
Culpatur ficta vitii ſub imagine Virtus.

Et vero, mea quidem ſententia, Amorem ſui non inter vitia, quin & inter ea, quæ virtutibus conſentanea ſunt, adnumerari debere, jure optimo cenſemus. Quam opinionem in

loco

loco validiſſimis rationibus comprobabimus, atque oſtendemus, ſui Amorem, non flagitioſum, quatenus recte intelligatur, non homine indignum, verum & eidem homini perutilem eſſe, & vel maxime neceſſarium.

Bene igitur, ac ſapienter ſibi conſulet is, qui ſe ipſum, ut infra apparebit, prudenter amaverit. Voluptates cum Socrate, ejuſque auditore ſapientiſſimo Platone contemnet, proſcribetque. Etenim, quidquid contra blaterent nonnulli, omnia, quæ ſanctiſſimi viri illi verbo dixere, re & comprobarunt. Voluptates plane amatorias ubique criminantur, & illam deteſtabilem, cujus reus Socrates injuria quidem, & immerito actus erat, vocat in Legibus Plato, τὸ παρὰ φύσιν τόλμημα, procacem, & flagitioſam. Naturæ violationem; ejuſque tanquam ſtirpis cujuſdam peſtiferæ fibras omnes ex animis hominum evulſas perſequitur, & elidere contendit adcuratiſſima diſputatione, &

lata Legis ſanctione ſeveriſſima .

Atque utinam homines ſe ipſos perpetuo amarent . Ipſius eſſet quidem certe amoris hujuſce illos a vitiorum contagione retrahere, & ad virtutem recta via impellere . Quod non ſine fructu factum viderent maleferiati τῆς Φιλαυτίας hoſtes ineptiſſimi, quos ego: ſed ne videar Satyram potius contexere, quam moralem diſceptationem in medium proferre , ea , quæ in illos jure, meritoque dici poſſent, miſſa libenter faciam. Bonis egomet , non malis placere ſtudeo, hos tamen minime lædere, verum, ſi fieri poterit , ipſorum errore detecto , in melius immutare.

Igitur ſe ipſum diliget, ac vero, & proprio ſenſu φίλαυτος adpellari jure optimo debet, qui juxta Platonis placitum, quod habetur in quinto de Legibus Dialogo , in vita tria habeat præcipue ſtudia, animi primum, medium corporis , tertium pecuniæ , non ut ea abutatur

in

in illis, quæ in vita ſupervacanea ſunt, ſed ut vitæ ipſius incommodis quæ ſunt neceſſaria, ea queat ſubpeditare.

Attamen ne videamur, hanc noſtram, qualiſcumque ea tandem ſit, diſceptationem ex antiquorum tantum Philoſophorum placitis depromere, aut quæ ab illis de ſui amore dicta vel excogitata fuere, quadam veluti commentatione amplificare, tempus jam ad incœptum noſtrum redire, eaque in medium adferre, quæ diu in animo, multumque compreſſimus.

Et primo quidem conſiderari hominem volo, quatenus ad Naturam tantum humanam pertinet, iis omnibus in præſentia prætermiſſis, quæ extra ipſum poſita ſunt, uno verbo, veluti Ens quoddam Naturæ ſimplex. Ita igitur homine conſtituto, lubet animum advertere ad ea, quæ idem homo ſibi ipſi debet, quæque erga ſe ipſum Natura ab illo omni ratione poſtulare videtur. Certum alioqui eſt,

&

& Divinæ ſimul, ac Naturæ Legis principiis confirmatum, hominem ſummo ſui ipſius Creatori ſubditum eſſe, eumdemque hominem neceſſario obſequi debere Creatoris ejuſdem mandatis: hujuſmodi vero ſubjectionem in amore, quo proſequi Deum omni jure homo debet, locatam eſſe. Verum de hac re nolumus ullo pacto ſermonem inſtituere hoc loco, quum jure quodam ſuo hanc ſibi Theologus vindicet; præterquam quod in re, de qua agitur in præſentia, ſatis ſuperque eſt, ipſum hominem conſiderare modo ſuperius indicato, atque ad examen revocare, utrum revera ſibi ipſi debitor ſit, & quænam ſibi debeat.

Præ ceteris igitur mihi primum dari poſtulo, (quod quidem æquum vel maxime eſſe duco) ut, ſicuti omnia, quæ Deo ab homine debentur, in amore ipſius hominis erga Deum ſtabili veluti in fundamento poſita ſunt, ita & ea ponam ſingula, quorum ſibi

homo

homo debitor eſt , in amore erga ſe ipſum.

Deinde liceat pro ſententia τῶν φιλαυτίαν definire non amorem illum , qui homines , uti vidimus , efficit voluptatibus deditos , glorioſos, ſibi in omnibus indulgentes ; verum ſui amore nihil aliud ſignificari volo, niſi firmum adfectum illum , validumque , quem humano generi erga ſe ipſum Natura indidit , quemque in unoquoque ex mortalibus ineſſe voluit rerum omnium Parens ſapientiſſimus . Itaque ſi hunc eſſe vero , & proprio ſenſu ſui ipſius amorem intellexerimus , quidni dicatur æquus, integer, ſceleriſque purus, homini denique neceſſarius ?

Ex iis plane, quæ ex aliorum judicio ſuperius delibavimus , quod erant ad propoſitam quæſtionem neceſſaria, videbitur alicui , & non immerito conſtare jam illud , quod petimus. Verum, ut ſententia noſtra magis , magiſque eluceat, juvat rem ipſam, ſtrictim tamen , &

preſ-

pressius perpendere, atque nonnulla certissima principia proponere, quædam veluti geometrica postulata, ex quorum veritate quæ consectanea erunt, in dubium revocari nec possint, nec debeant.

1. Omnes homines animo, & corpore constare. 2. Posteriorem hominis partem, corpus videlicet, variis obnoxiam esse casibus quibus aut læditur, aut destruitur. 3. Principem hominis partem, nempe animum, subjectam perpetuo, paratamque esse ad omnium rerum species, sive *ideas* accipiendas, quarum specierum plerasque mœrori ipsi animo esse, tristitiæque. 4. Ad hæc eumdem animum obnoxium esse sensibus iis, quibus aut prosternitur, aut inquinatur.

His positis, quæ quidem nemo inficiari, nisi per summam injuriam, & impudentissime poterit, certum est, sapientissimum rerum omnium opificem Deum, quemcumque homi-

nem

nem quodam veluti præſidio ad corporis tutamen naturali *Inſtinctu* donaviſſe, qui ejuſdem hominis conſervationi præeſt perpetuo, ac præſto eſt, ipſumque hominem ab omnibus iis rebus, quæ eidem nocumento eſſe poſſunt, tutatur, ac vindicat, ipſumque ea monet, quibus indiget.

Ad animum vero quod adtinet, Deus Optimus Maximus nobiliori quidem præſidio eum ditavit, *Ratione* ſcilicet, qua duce, & ea, quæ noxia ſunt, vitare queat, & ad veritatem inveniendam totis viribus feratur, ac denique bona non larvata quidem, & ficta, ſed vera exquirat, certaque, ut eidem media commonſtrentur, quibus facile bona ipſa ſibi comparare, iiſdemque frui animus queat. Sicuti igitur Naturæ *Inſtinctui* in iis, quibus indiget corpus, pareat homo neceſſe eſt; ita & Rationis imperio regatur ipſius hominis animus oportet. Rationis igitur præſidio ſummus Deus

ani-

animum hominis vindicatum voluit ab iis omnibus, quæ eidem nocere, quæque ipſi & felicitatem, & ingenitam puritatem auferre poſſent.

Quæ quum ita ſint, manifeſtum plane, certumque eſt, quantum ad hominem ſpectat, nihil eſſe divinæ inſtitutioni magis proximum, & conſentaneum, quam ſummo ſtudio incumbere ad ea, quæ animi ſimul, & corporis bonum pariunt, quod plane idem eſt, ac ſi dicamus, utrumque amore proſequi; nam bonum alicui velle, &, quod magis eſt, parare, idem profecto eſt, ac ex animo diligere.

Ad hæc Naturæ legis præſcripto mandatum homini eſt, ut cum ceteris agat hominibus eadem ipſa ratione, qua ab iiſdem ſecum agi exoptat. Ex hoc plane mandato, nemo quidem conſequi poſſe, niſi ſtulte contendet, ab homine ſui ſimiles male habendos eſſe. Neceſſario enim ſequeretur, hominem ſe ipſum

lædere

lædere debere, quod quidem abſurdum, atque optimi Legislatoris voluntati maxime adverſatur.

Eadem ſimiliter Naturæ lege præcipitur homini, ut ſui ſimiles eo ipſo amore, quo ſe ipſum diligit, proſequatur. Igitur Naturæ legis præcepto, quod quidem Chriſti Domini mandatis aptiſſime reſpondet, jubemur præcipue noſmetipſos diligere, uti manifeſtum eſt.

Validiora iis, quæ modo adtulimus argumenta ad rem noſtram confirmandam nemo, niſi injuria, deſiderabit. Nonnulla tamen adhuc valida rationum momenta ſuperſunt, quæ quidem breviſſime a nobis expendentur, ne in aliqua re, quæ examine indigeat, acquieſcere videamur.

Primum itaque minime me pudet, ex animo fateri, in ſui amore & mala quædam plerumque reperiri. Fieri enim aliquando poteſt, ut amor hujuſmodi impedimento homini

ſit ad ea recte dignoſcenda, quæ in eodem infirmitatum locum obtinent, atque ita efficiat, ut ſibi nimium blandiatur, propriaque peccata, prout ſunt, minimi æſtimet, eorumque pondus ſibi in illis detrahens imminuat. Sed & quum in amore illo, qui conjugum eſt, æque ac in amore ipſo parentum in filios ſua deprehendantur mala, atque incommoda, & tamen quum hujuſmodi adfectiones non ſolum proſcribendæ nullo modo ſint, quinimmo & probandæ plurimum, & commendandæ, ita, nihil mirum eſſe debet, ſi & ſua habeat vel ipſe ſui ipſius amor incommoda.

Piget profecto in re tam perſpicua tam multa dicere: ſed nimirum obtrudenda fuit hæc explicatio veritatis, vel perverſis quorumdam hominum moribus, vel ignorantiæ illorum, quos, uti dicebamus, ſua pietas, male quidem locata, abducere plerumque ad errorem ſolet.

Nunc autem pauca ſunt delibanda ad eam ratio-

rationem, qua unuſquiſque optimus diligere ſe ipſum debet, pertinentia: quæ quidem ratio ſui ipſius recte amandi, & homines, ſi eam ſequantur, optimos efficiet, & ab incommodis ipſiuſmet amoris hujuſce facile illos vindicabit. Pulcre ad rem noſtram Plato docet in Timeo, Τὸ πράττειν, καὶ γνῶναι τά τε αὑτοῦ, καὶ ἑαυτὸν, σώφρονι μόνῳ προσήκειν: *Agere ſua, ſeque ipſum cognoſcere hominis tantum prudentis eſſe*. Recte igitur, & juxta voluntatem inſtitutionemque divinam ille ſe ipſum amabit, qui ſe prudenter amaverit.

Ut autem latius pateat, quidnam ſit ſe prudenter diligere, neceſſarium eſſe duco, ut nonnulla, quæ ad ipſius prudentiæ virtutem ſpectant, in medium adferantur, atque peculiari diligentia expendantur. Ne tamen putet aliquis, velle me ſingula hoc loco referre, quæ Philoſophi tum veteres, tum recentiores dixerint de hac virtute, neque varias eorumdem

pru-

prudentiæ definitiones exponere. Plane prudentia ipſa nihil aliud eſt, uti opinor, quam *Ars bene eligendi*. Et profecto homo ille, qui de multis judicium ferens, potis ſit dijudicare, quinam inter eos ceteris omnibus præſtet, jure, meritoque vir prudens habendus erit. Sciendum præterea eſt, duo peculiaria bona in prudentia ipſa præ ceteris contineri, quorum alterum eſt intellectum illuminare, alterum vero regere voluntatem. His prudentiæ bonis certi homines fiunt de rebus iis omnibus, quæ ad principia ſpeculativa pertinent, præter quam quod ab iiſdem certiſſima hominibus præbetur norma, qua recte agere in vita poſſint, vel, ut philoſophica utar loquendi forma, circa πρακτικὴν inſtruuntur. Ad hæc prudentia ipſa firmiſſimo quodam veluti munimine confirmatur intellectus contra *præjudicia*, atque ab ea, uti Socrates a Genio ſuo, ne temere, atque inconſulto agat, retrahitur; quo

fit,

fit, ut ab hac veluti ſapientiſſima Minerva ductus æquum, rectumque de rebus iis omnibus, quæ ipſi objiciuntur, judicium ferat. Ea quidem ratione certa pro certis, pro incertis incerta, veriſimilia pro veriſimilibus ita adcipientur ab intellectu, ut decipi nequaquam poſſit. Atque hic minime prætereundum puto, quod ſicuti quædam concupiſcere, quæ veriſimilitudine quavis proprio bono ac felicitati videantur adverſari, idem eſſet, ac imprudenter agere, & quidem ejus imprudentiæ, quæ perniciem vel maximam adferret, ita turpis, atque etiam flagitioſa illius eſſet imprudentia, qui ea concupiſceret, quæ morum puritatem, ac ſanctitatem læderent.

Nolim tamen putet aliquis, ſermonem habere me in præſentia de prudentia illa, quæ humanum intellectum regere debet circa principia, quæ in ſimplici ſpeculatione verſantur: hanc enim peculiari jure ad Metaphyſicos pertine-

tinere manifeſtum eſt. Prudentia enimvero illa, quæ ad rem noſtram facit, & de qua loqui intelligimus, ea eſt ſapiens quædam ſagacitas, ſeu perſpicientia, cujus muneris eſt præeſſe ſenſibus, verba dirigere, regere operationes.

Quæ quum ita ſe habeant, vel magni intereſſe autumo, ut hac ſolerti perſpicientia homo utatur in cuſtodiendis moderandiſque motibus illis, qui cordis præcipue motus dicuntur. Plane hujuſmodi motus vel ab animo ita proficiſcuntur, ut nullam in iis producendis corpus habeat partem, atque omnino ſeorſum a corpore in homine oriantur, vel excitantur a ſenſibus, vel tandem producuntur a rebus illis, quæ extra hominem penitus ſitæ ſunt.

Motus itaque, quos prioris generis dicere lubet, illi videlicet, qui ſejunctim a corpore proveniunt ab animo, dicendi jure quidem optimo

ptimo ſunt adfectus illi animi inanes , quos ſuperbia peculiariter gignit, ut ſunt animi elatio, gloria, ambitio, & hujuſmodi, quorum propria ſedes ipſe animus eſt. Alterius vero generis motus, eos videlicet, qui a ſenſibus excitantur, juvat adpellare corporeos omnes appetitus, ſeu libidines, quas parit *Intemperantia*. Tertii denique generis motus, eos ſcilicet, qui producuntur a rebus, ſive ab objectis omnibus, quæ extra hominem ſita ſunt, adpello cetera omnia deſideria, quorum cauſæ, ſive objecta illa, a quibus formantur, bonum, ſeu virtutem nullam in ſe habent, præter inanem illam, quæ ab hominum præjudiciis eiſdem tribuitur. Hujuſmodi itaque ſunt motus illi, ſive appetitus, a quibus producitur in homine, exempli gratia, fames auri, libido effrena dignitatum acquirendarum, & aliarum hujuſcemodi rerum, quæ tamen inanes prorſus ſunt, quæque brevi dilabuntur. Qui qui-

dem appetitus si diu in homine manserint, eam in illo vim acquirent, ut ne longo quidem temporis intervallo ab eo ulla ratione possint evelli. Singula etenim hujusmodi desideria, sive mavis, multiplicis generis libidines ex frequentioribus actionibus, uti patet, *habitus* fiunt, qui plane *habitus*, si recte loqui velimus, ii sunt, qui a Latinis animi morbi, a Græcis vero *παθήματα* adpellantur. Eorum igitur causa possidendi libido in homine augetur in dies, eorum similiter causa ambitioni, & avaritiæ necessario homo servire cogitur.

Permagni itaque interest, hominem nervos ingenii, industriæque omnes intendere, ut abs se ea omnia expellat, abdicetque, quorum causa istiusmodi motus producuntur, seduloque caveat, ne appetitus hi vim in illo eam acquirant, ut fiant animi morbi nulla sanandi medicina:

(*a*) *Principiis obsta: sero medicina paratur,*

(*a*) Ovid. de Remed. Amor. lib. 1.

Quum

Quum mala per longas invaluere moras.

Quod quidem facili negotio adſequi homo poterit, dummodo ſolerti utatur perſpicientia in libidinibus, cujuſcumque vel generis tandem ſint, reprimendis coercendiſque.

Alia profecto, neque ea contemnenda, mihi in promtu eſſent, quæ licet ad rem noſtram magis confirmandam apta quidem videri poſſent, ea tamen lubet prætermittere. Et vero quum nihil aliud Tibi, vir amiciſſime, quam perbrevem lucubrationem exhibere mihi in votis ſit; quumque rem ipſam patere jam ex iis, quæ modo adtulimus, mihi perſuaſum ſit, quæ hactenus expoſuimus, ſatis ſuperque eſſe putaverim. Igitur quid ſibi velit ſe ipſum prudenter diligere, tenes, vir amiciſſime.

Reliquum tamen eſt, ut rem ipſam colligam, atque oſtendam, qua potiſſimum ratione unuſquiſque optimus ſe ſe diligere debeat. Oportet igitur, hominem, ſe ipſum pruden-

ter diligere, atque ita, ut modum ſervet. Qui quidem ſe ipſum diligendi modus proculdubio ſervabitur, ſi ad ea, quæ in poſtrema hac diſceptationis noſtræ parte breviſſime delibabimus, animum advertamus, ſi ea animo habeamus comprehenſa, ſi denique ad eorumdem principiorum normam noſmet formare ſtudeamus, quæque ab illis præcipiuntur, exequi omni cura, & diligentia non dubitemus.

Oportet igitur, ut ſuæ ſint propriæ, & peculiares ſedes, ſive gradus amori illi, qui corporis eſſe debet, atque amori ſimiliter illi, qui animo debetur. Plane eatenus purior, nobiliorque amore, qui corporis eſt, amor erga animum eſſe debet, quatenus corpori animùs præſtat. Suæ præterea dentur ab homine propriæ ſedes neceſſe eſt *Inſtinctui*, & *Rationi* eadem ferme proportione, & menſura, qua diſtinguendos eſſe animi, & corporis amores modo dictum eſt.

Plane

Plane ſi hominibus ſtudium illud erit, quod quidem, licet maxima difficultate, adſequi tamen hominem poſſe, ſi id ex animo cupiat, non dubito, & convenienter Naturæ vivere, &, quod caput rei eſt, Deo placere abſque ulla controverſia homines poterunt, eruntque in hac, & poſt mortem vita beatiſſimi.

Igitur ſi ab homine gradus ille *Rationi* dabitur, quem ſibi poſtulare *Ratio* ipſa omni jure videtur; atque ſimiliter ſuum *Inſtinctus* apud hominem locum obtineat, quem *Inſtinctum* ipſum decet, tunc quidem certe omnia in animo recte diſpoſita, atque ita erunt ordinata, ut nullius rei homines vel a Ratione, vel ab Inſtinctu moneantur, nihilque ad agendum impellantur, quod aut voluntati divinæ adverſetur, aut morum ſanctitatem lædere queat.

Omnes igitur homines, qui ſe diligere prudenter ſtudent, ſumma ope niti decet, ne Ratio in illis ab Inſtinctu ſubjiciatur. Næ ſi inſtin-

ctui Ratio perpetuo imperet, ipsumque regat, fieri nullo modo poterit, quin ipsi Rationi Instinctus obsequatur: ea enim potissimum causa a sapientissimo numine inditus homini fuit, ut muneris ejusdem sit (quo ad veram ipsius naturam pertinet) Rationi perpetuo obtemperare. Ita necessario fiet, ut sicuti ad Deum animam, sic ad animam cetera omnia referantur: ita ab homine animus suimet amabitur, veluti rem pene divinam, atque æternam decet: ita corpus eo amore prosequetur homo, qui naturæ ipsiusmet corporis respondeat, quæ quidem corporis natura, uti cetera mortalia omnia, fluxa, & fragilis est, ac brevi transit temporis intervallo: ita omni studio contendet homo, ut corporis motus comprimat coerceatque, quotiens in animum, uti necessario evenire debet, impetum faciant: ita denique & animi ipsius impetus retinere homo poterit, ipsumque animum in propriam sedem revocare, si forte

eve-

evenerit, ut ſui ipſius dignitatis obliviſcatur, vel (quod maximum eſt) memoriam amittat eorum, quæ ab ipſo debentur ſapientiſſimo Numini, e cujus mente eſt profectus: atque, ut uno verbo omnia complectamur, corpus animo, animum Deo obſequi in omnibus debere. Illud homini certum, atque exploratum eſſe volo, (quod ex his omnibus quæ diximus hactenus, efficitur) a nulla alia cauſa, niſi ab una hac *Subjectione* pendere bonum utriuſque, corporis videlicet, animique.

Quæ quum ita ſint, ſapientis hominis erit, ſubjectionem hujuſmodi ſumma fide, ac diligentiſſime cuſtodire, ita ut ne latum quidem unguem ab ea unquam diſcedat. Enimvero, quidquid Philoſophi dictitent de ratione definiendæ Sapientiæ, nihil aliud, mea quidem ſententia, ea eſt, niſi *prudens, rectus, & æquus delectus, cujus ope media illa homo exquirit, quibus mediis bonum ſibi certiſſime comparat, & felicitatem.*

Atque

Atque hic adposite animadvertendum est, quod quicumque corporis indigentias adeo contemnit, ut corporis ejusdem incolumitati, ac bonæ valetudini noceat, sicuti inanem morum sanctitatem ostentare videtur (quum non solum ea ratione Deo placere magis haud possit, verum etiam contra Naturæ, ac divinæ Legis præceptum, quo jubemur *Depositum custodire*, maxime faciat) ita simili ratione ille, qui corporis sensibus in omnibus satisfaciat, atque earum rerum, quæ extra sensus positæ sunt, nullam rationem habeat, probro quidem adficiendus est, & non secus ac pecora, quæ Natura ventri tantum obedientia finxit, jure optimo existimandus est.

Quotiescumque igitur constituta sit subjectio animæ ad Deum, corporis vero, & ceterarum omnium humanarum rerum ad animam, vera, & una felicitatis comparandæ ratio ea est, quod homines ad Legem divinam mores suos

com-

componant, conformentque; quæ quidem Lex & vera eſt, & certa, ac denique una morum regula, & exemplum. Et profecto nihil eſt in iis, quæ homini a Deo præcepta fuere, quod ad ipſiuſmet hominis felicitatem minime referatur. Verum ut homo mores ſuos ad hanc Legem componat, neceſſe primum eſt, ut omni ſtudio incumbat in ea conſideranda & cognoſcenda, quæ ab eadem Lege præcipiuntur: ſecundo, utilitati quæ honeſta ſunt perpetuo præferat, oportet: tertio denique magni intereſt, ut deſideria ſua homo coerceat, modumque in illis ſervet quam diligentiſſime.

Quæ quum ita ſint, (quod quidem in dubium revocare neminem, niſi per ſummam injuriam, poſſe arbitror) optimo jure concludendum videtur, hominem illum vere, & proprie ſe ipſum amare, & recto ſenſu Φίλαυτον dici poſſe, ac debere, qui habeat in animo firmam, ratam, atque inconcuſſam cognitionem

nem

nem eorum, quæ in hac poſtrema diſceptationis noſtræ parte fuerunt expoſita. Etenim ſi ita ſe res habeat, fieri nullo modo poterit, quin & ea agat, quæ veritatibus propoſitis ſint conſentanea.

Igitur quæ noſtra ſit de *Sui Amore* ſententia tenes, Vir amiciſſime. Attamen ſi Tibi, aut aliis aliter viſum, nihil ad nos.

Unum tandem reſtat, quod ego ſcilicet abs Te veniam petam, ſi minus apte, aut ineleganter Tibi viro doctiſſimo ſcripſerim de re tanti momenti, quam ut facilius conſequar, illud agam verbis ipſis Ciceronis ad Brutum. Vereor igitur, ne reprehendar, quum hæc ad Te ſcribam, qui cum in omni philoſophia, tum in optimo genere philoſophiæ tantum proceſſeris. Sed hæc ad Te dare me, pro certo habeas velim, non quaſi ea, quæ ignores, cognoſcas ex me, quæ Tibi notiſſima ſunt, ſed quia facillime in nomine Tuo acquieſco, &

quia

quia Te præ ceteris habui ſtudiorum meorum æquiſſimum æſtimatorem, & judicem. Vale, & me Tui amantiſſimum ama.

Dabam Patavii Nonis Martii MDCCLI.

FINIS.